

SUPREMUM TRIBUNAL SIGNATURAE APOSTOLICAE - ROMANA - Dimissionis a munere docendi - 27 ottobre 1984 - Em.mo Card. Ratzinger, *Ponente*.

(*Omissis*). - SPECIE FACTI. - I. - X. Y. anno 1947 Ordinem Z., ingressus, studia sacra, propter saevas contra Ecclesiam et religionem in patria grassantes persecutiones, in Urbe prosecutus est. Qui presbyter anno 1952 creatus, lauream in sacra theologia adeptus est, laurea in utroque iure apud Universitatem K. decoratus, advocatus S. Romanae Rotae promotus, munisque plurimis apud dicasteria Curiae Romanae fungens, ius canonicum in ipsa Universitate K. iam anno 1961 docere incepit et anno 1972 canones De Rebus explicandos acceptavit. Qui propterea die 26 martii 1973, ut ad gradum professoris extraordinarii eiusdem cathedrae De Rebus secundum Universitatis Statuta eveheretur, supplices preces Rectori Universitatis porrexit, necessariis documentis et elencho operum typis editum munitas.

Rector Magnificus, proinde, die 3 aprilis 1973 Consilio Facultatis Iuris Cano-

nici praesedit ubi « all'unanimità dei presenti si dà voto favorevole alla richiesta del P. X. Y. », et die 5 aprilis, ut requisitum ab Articolo 39, c Statutorum *nihil obstat* concederetur, Sacram Congregationem nomine Magni Cancellarii rogavit et necessaria documenta (curriculum vitae, elenchum operum typis editorum, etc.) exhibuit. Concesso a Sacra Congregatione *nihil obstat* P. X. Y. decreto Em.mi Magni Cancellarii die 25 maii professor extraordinarius promotus est.

2. - Res prospere procedere videbatur donec auditores quidam Facultatis Iuris Canonici, ineunte mense iulio 1975, denuntiatione Rectori Magnifico porrigerent, viginti quinque circiter paginis constantem, ubi libri quidam P. X. Y., seu potius « dispense » quas vocant, sc. *De iure patrimoniali* (a. 1973) et *Il matrimonio* (a. 1974), magna ex parte ex aliis qui-

busdam commentariis etiam ad litteram transcripti dicebantur, fonte nonnumquam nominato, interdum reticito. Rector Magnificus, re cum P. X. Y. diebus 8 et 9 collata, Em.mum M. Cancellarium certior fecit, qui statim (die 11 iulii) causam dirimendam sibi suscepit.

Rector propterea « per incarico del Gran Cancelliere » apud Ministrum Generalem Ordinis Z. proposuit « una sistemazione conveniente per il P. X. Y., membro del Suo Ordine, che, secondo lo stesso Gran Cancelliere, non può più continuare a insegnare ». Cum Minister Generalis eo tempore esset extra Urbem, M. Cancellarius rem properare noluit, scripsit tamen P. X. Y. die 16 iulii: « debbo dirle che non posso cambiare la linea esposta nella mia lettera dell'11 luglio scorso. Perciò io spero che tutto possa risolversi senza rumore attorno alla sua persona, la quale, in caso diverso, ne uscirebbe, in ogni modo, gravemente danneggiata ».

Rector interim Sacram Congregationem rogaverat quomodo esset procedendum in casu, ubi Em.mus Praefectus et Exc.mus Secretarius, collatis inter se volumine « dispensarum » et opere a quo dependebat, « non hanno esitato a concludere che, oggettivamente, la cosa è gravissima, per cui non rimane che la via indicata dal Gran Cancelliere... hanno escluso che io, come rettore, debba chiedere al Gran Cancelliere di mutare consiglio » (ep. ad P. X. Y., 16 iulii).

3. - Adversus Superiorum proposita P. X. Y. insurrexit, denegatum ius defensionis conquerens, neglecta et praescripta procedendi forma: « Non avrei avuto niente da eccepire e a temere che, a norma dell'art. 35 degli Statuti, fosse investito della questione il Decano della Facoltà di Diritto canonico e lo stesso Senato Accademico » (ep. « Riservata personale » ad M. Cancellarium, die 17 iulii).

Quod ut in praxim deduceret, M. Cancellarius ita ad Rectorem Magnificum scripsit die 23 iulii: « Per rispondere al desiderio di P. X. Y. di essere ascoltato... ho pensato di costituire una speciale Commissione, da Lei presieduta e composta dei quattro Decani di Facoltà. Alla Commissione sarà pure aggregato in qualità di esperto il Prof. G. La Commissione esaminerà il caso in tutti i suoi aspetti e ne riferirà a me al più presto, in modo che, in settembre, si possano trarre le conclusioni definitive, ritenute opportune ».

4. - Ut Commissio totam rem funditus investigaret, Rector P. X. Y. rogavit ut tria vel quattuor exemplaria novi libri (seu « dispensarum ») *De Matrimonio*, anno 1974 editi, ad Commissionem mitteret, una cum scidula expensarum.

Idem Rector interim interpretationem Art. 35 Statutorum quaesivit apud Sacram Congregationem, quae respondit: « Circa l'interpretazione dell'Art. 35 degli Statuti della Università (« Professor qui vel doctrinam catholicam laeserit vel a vitae integritate aut officio suo disceserit, a Decano scripto moneatur »), siamo convinti che nell'espressione « discedere ab officio suo », riferita ad un Professore universitario, tutto si possa intendere salvo l'onestà scientifica. Questa è assolutamente da presupporci a qualsiasi compimento del proprio dovere accademico e pertanto qualunque infrazione al riguardo non è neppure da ipotizzare statutariamente. Del resto, una « monitio » del Decano « in subiecta materia » non avrebbe nessun senso. Quando infatti qualche rarissimo caso del genere si è verificato, è stato subito tacitato con l'allontanamento del colpevole (2 augusti 1975) ».

5. - P. X. Y., cum verbotenus monitus esset Commissionem primis septembris diebus conventuram esse, ad Rectorem die 3 augusti scripsit se Roma abfuturum a

die 4 augusti ad 5 septembris, cum maximi calores in Urbe esse solent, sed a Procuratore Ordinis semper ad Urbem revocari posse. Sed Rector epistolam die 31 augusti, a feriis reversus, accepit. Ipse vero P. X. Y. litteris die 6 augusti missis, monuit seu invitavit ut diebus 1 et 2 septembris coram Commissione comparet.

6. - Commissio specialis diebus 1 et 2 septembris congregata, perpensis duobus libris (seu « dispensis ») de iure patrimoniali et de iure matrimoniali, proposuit: « ... che venga tolta al Rev.mo P. X. Y. la cattedra De Rebus e che venga revocata la sua nomina a professore straordinario in quanto nella nomina stessa ebbe influenza un titolo che si è poi rivelato inidoneo: con le conseguenze che dalla revoca derivano a norma del Regolamento della Curia Romana. Visto l'Art. 35 degli Statuti e la lettera della Sacra Congregazione al Rettore del 2 agosto 1975, la Commissione ritiene che per i provvedimenti da essa suggeriti, non sia necessario l'assenso del Senato Accademico ».

Quo relato, M. Cancellarius die 6 septembris Patri rettulit quod eo absente facta erant, sc. consensum Commissionis specialis quae opera eius edita examinaverat, seclusis auditorum animadversionibus, et concludit: « a norma dell'Art. 35 degli Statuti per le Università Pontificie, sono costretto a toglierle la cattedra di « De Rebus » e revocare la sua nomina a professore straordinario ».

7. - Adversus M. Cancellarii decretum, seu dispositionem, P. X. Y. iterum surrexit, et praesertim quod nec citatus nec defensus nec auditus damnatus esset, sed postea, operam mediatricem afferente Rev. mo Ministro Generali Ordinis, M. Cancellarius Commissionem iterum cogere constituit, ubi accuratus sese coram pos-

set defendere, non exclusis « eventuali proposte mitigatrici ». Nova Commissio, quattuor Decanis constans, pro die 11 octobris convocata, munus praesertim habuit consilium praestandi Magno Cancellario, audiendi P. X. Y., revidendi conclusiones diei 2 septembris immo et compositionem investigandi ad bonum pacis. P. X. Y. iterum exhibuit curriculum vitae et elenchum publicationum (duobus voluminibus « dispensarum » omissis) necnon defensionem scriptam cum titulo « Note per la Commissione esaminatrice », quibus omnibus perpensis commissarii in altero consensu diei 22 octobris in diversas sententias abierunt, et praesertim quaestio agitata est utrum « dispense » de iure patrimoniali pro promotione ad gradum professoris extraordinarii oblatae sint et momentum in promotione habuerint.

8. - De placitis Commissionis Rector Sacram Congregationem edocuit, quae respondit ad Commissionem spectare tantummodo de « dispensis » disputare, non autem de dotibus intellectus P. X. Y., in ordine ad promotionem ad gradum professoris extraordinarii. At Magnus Cancellarius in decisis mansit, et voluntariam renuntiationem cathedrae et officii iterum proposuit (ut cum honore posset discedere, salvo etiam iure ad « liquidationem », secus « dovrei emettere il Decreto di licenziamento in poenam con tutte le conseguenze morali e amministrative » (27 novembris 1975). Hac Magni Cancellarii decisione nixus, Rector Administrationem Patrimonii Sedis Apostolicae certiore reddit die 5 decembris 1975 « che con il prossimo 31 dicembre il Rev. P. X. Y. lascerà l'insegnamento nella nostra università... La vorrei pregare di disporre per quanto concerne le sue spettanze in ordine alla liquidazione ». De qua re inter P. X. Y. et eius Ministrum Generalem ex una parte, et Rectorem ex alia

parte disceptatum est, et die 15 P. X. Y. recursum interposuit ad Sacram Congregationem adversus illam Rectoris epistolam.

9. - Magnus Cancellarius demum, die 19 ianuarii 1976, ad Ministrum Generalem nuntiavit: «... devo confermare a Lei e per mezzo suo al P. X. Y. la piena validità — quanto a contenuto e a data di esecuzione — della mia sopraccitata lettera (id est, diei 27 novembris 1975)... con molto dolore e rammarico sono costretto a chiudere così in modo definitivo, per quanto mi riguarda, il caso del P. X. Y.». Adversus hanc pariter decisionem M. Cancellarii, P. X. Y. recursu diei 26 ianuarii facto, Sacram Congregationem rogavit ut, omnibus actis cribratis et facultate sui defendendi concessa, substantiam et modum procedendi iudicaret.

10. - Examen recursuum diei 15 et 26 ianuarii 1976 diu apud Sacram Congregationem pendit, quod aliis recursibus necnon acribus discidiis retardatum erat, et decisio tandem die 10 ianuarii 1979 prodiit sub titulo «Rigetto dei ricorsi presentati alla S. Congregazione per l'Educazione Cattolica dal Rev. P. X. Y., avverso la privazione di cattedra decretata dal Gran Cancelliere della P. U. K.». Nixus propterea n. 106 Constitutionis Apostolicae *Regimini Ecclesiae Universae*, P. X. Y. recursum die 9 februarii 1979 ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal interposuit.

11. - Die 15 ianuarii 1981 Supremum Tribunal, prae habito voto Promotoris Iustitiae, et Memoriali Patroni recurrentis, «recursum admisit ad disceptationem». Dein, ex instantia eiusdem Rev.mi recurrentis SS.MO porrecta, Em.mus Cardinalis Secretarius Status litteris diei 13 maii 1981, significavit Em.mo Cardinali Praefecto Supremi Tribunalis: «il caso giuridico, al presente sottoposto all'esame di

codesto Tribunale circa la illegittimità dell'atto impugnato sia anche giudicato «de merito» per sovrana disposizione di grazia».

12. - Constitutis iam Patronis sive recurrentis, sive S. Congregationis pro Institutione Catholica nec non Universitatis K., die 9 martii 1982, superatis et compositis divergentiis quoad concordanda dubia, sunt demum firmata sub formulis:

1. - «An constet di violatione legis vel in procedendo vel in decernendo relate ad actum S. Congregationis pro Institutione Catholica diei 10 ianuarii 1979, prot. n. 684/73/104».

2. - «An decretum dimissionis R. P. X. Y. a munere docendi ex parte S. Congregationis pro Institutione Catholica confirmans decisionem Magni Cancellarii P. U. K., diei 19 ianuarii 1976, prot. n. 54/76 iustum vel iniustum sit».

3. - «Et quatenus affirmative ad secundam partem secundi dubii seu decretum dimissionis a munere docendi R. P. X. Y. iniustum esse, an damnis rurens sarcendus sit et an hoc Supremum Tribunal competens sit ad quaestionem solvendam de refectione damnorum».

13. - Actis recollectis et unitis, instructio suppletiva facta est per auditionem decem testium a recurrente et duorum a Patrono S. Congregationis pro Institutione Catholica inductorum coram Exc.mo Secretario Huius Supremi Tribunalis, et publicata.

IN JURE ET IN FACTO. - I. - *De primo dubio*. - In primo dubio quaeritur, utrum constet de violatione legis vel in procedendo vel in decernendo. Rem divido secundum diversas instantias quae in procedendo vel in decernendo partem habuerunt. Sic primum quoad rectorem Universitatis, postea quoad eius Magnum

Cancellarium, finaliter quoad S. Congregationem pro Institutione Catholica quaestio haec ponenda est.

1. - An Rector Universitatis K. hac in re leges violaverit.

Casus, quos sub hac ratione perquirere debemus, sunt sequentes:

a) Quamvis P. X. Y. litteris die 3 augusti datis Rectorem certiore fecerat se a d. 4 augusti usque ad 5 septembris absentem esse eique communicaverat, quomodo in casu urgenti adeundus esset, Rector tamen 6 augusti ad adunationem Commissionis a Magno Cancellario pro casu creatae invitavit nullumque tentamen fecit P. X. Y. modo sibi indicato adeundi. Insuper tam Minister Generalis quam Pater L. C. quam Pater M. Z. firmissime testantur (pag. 22; 55; 62) litteras Rectoris die 6 augusti datas numquam in conventu advenisse ita ut etiam de diligentia debita quoad earum expeditionem dubitari possit. Detrimentum hoc quodammodo sanatum est repetitione adunationis huius Commissionis die 10 octobris, in qua praesente accusato post eius defensionem Commissio ad novas conclusiones pervenit. Res minoris momenti etiam in hac adunatione reprehendenda est, absentia nempe Patris G. qui accusationem exposuerat; ex altera parte dici potest absentiam accusatoris principalis quodammodo rei accusati favisse, sicut etiam ex conclusionibus patet. Concedendum ergo est hac secunda adunatione detrimentum primae sanatum esse.

b) Minister Generalis Ordinis N., de hac quaestione interrogatus, testatur Rectorem Universitatis K. die 21 iulii 1975 ad eum venisse ipsique insinuas ut P. X. Y. munus quoddam extra Italiae partes imponeret hoc scopo ut P. X. Y. extra Italiam degens impediretur ne recursum contra decisionem dimissionis in litteris Magni Cancellarii die 11 eiusdem mensis scriptis iniret (pag. 19). Tale ten-

tamen non solum competentiam Rectoris sed etiam iustam proportionem intra delictum et poenam penitus excessit nec providentia paterna, sicut dicitur, iustificari potest.

c) Tam P. X. Y. quam eius advocatus deplorant pluries sic dictam expositionem studentium, ex qua tota res originem suam duxit, accusato numquam accessibilem factam esse. Insuper conqueruntur de facto affirmationes Rectoris de auctoribus invicem non consentire, quia in initio de decem locutio facta fuerat, postea vel de tribus vel de uno vel etiam dictum est expositionem nominibus signatam non fuisse. Tales discordantiae admirationem creare possunt, ipsam autem proceduram immediate non tangunt, qua de causa quaestio a nobis neglegi potest.

Quoad factum multo maioris momenti, documentum initiale accusato exhibitum non esse, responderi potest ipsam rem, id est assumptionem textuum aliorum auctorum sine citatione a tali documento minime dependere, quod potius mera occasio detegendi ipsius facti fuisset, cuius evidentia a tali expositione non egeret, is de hoc facto, non autem de documento ducenda esset.

Talis responsio substantialiter iusta est, sed non penitus rei tamen satisfacere potest. In sua prima epistula ad P. X. Y. Magnus Cancellarius scripsit (II. 7. 75) se negligere non posse expositionem studentium, qui vivum sint organum Universitatis; secus fiduciam eorum erga Universitatem eiusque personas responsabiles deciperet. Sic dici debet saltem in initio hanc expositionem magni momenti fuisse, quod etiam confirmatur, si in mentem revocamus testimonium Exc.mi G., secundum quod etiam in «dispensis» duorum decanorum M. et H. idem factum adesset (pag. 34) et si responsionem advocati B. addimus, qui dicit factum non accusatum nec detectum etiam vindicandum non esse. Ponderando omnia elemen-

ta huius quaestionis dicere possumus, refutatione exhibendi accusato hoc documentum accusationis iura defensionis substantialiter quidem violata non esse, quia quaestio de documento initiali separabilis et separata fuit; ex altera parte hic modus agendi defectum formalem implicat et simpliciter aequus nominari nequit.

d) In Annuario Academico pro novo anno initio mensis septembris 1975 in lucem edito nomen P. X. Y. iam sublatum fuit. Ad iustificandam hanc decisionem Rectoris dici potest post litteras interea a Magno Cancellario editas et post colloquium suum cum auctoritatibus S. Congregationis, in sua epistula die 16.7.75 descripta, cuius sententiae in litteris Congregationis die 2.8.75 scriptis clare confirmantur, Rectorem dubitare non potuisse rem cum poena dimissionis finitum iri. Ex altera parte valet hoc tempore proceduram a Magno Cancellario decisam et a S. Congregatione approbatam nec coeptam, tanto minus poenam valide statutam esse. Quia autem iudicio nondum facto consequentiae administrativae trahi nequeunt, Rectoris decisio hoc momento iusta non fuit.

e) Idem valet de epistula Rectoris die 5.12.75 ad Administrationem Patrimonii Apostolicae Sedis scripta, in qua communicat P. X. Y. ultra diem 31.12.75 professorem Universitatis K. futurum non esse. Iterum verum est Magnum Cancellarium in litteris suis 27.11.75 dubium non reliquisse se P. X. Y. ex Universitate dimittere velle. Sed adhuc in discussione modus abeundi remansit et decisioni suae vim iuridicam adhuc non dedit. Qua de causa talis communicatio hoc momento Administrationi saltem modo definitivo tradi non debuit.

2. - An Magnus Cancellarius hac in re leges violaverit.

Tres quaestiones hic ponendae sunt: primum, quale sit fundamentum iuridi-

cum interventus Magni Cancellarii; secundo utrum in procedendo, et tertio, utrum in decernendo diligentia debita adhibita fuerit.

a) De fundamento iuridico actionis Magni Cancellarii.

Privatio Cathedrae in art. 35 Magno Cancellario reservatur. Articulus hic de tribus delictis loquitur, scilicet de laesione doctrinae Catholicae, de discessu a vitae integritate, de discessu ab officio. Gradus punitionis, a monitione per Decanum usque ad privationem Cathedrae, Magno Cancellario, sicut dictum est reservatum statuuntur. S. Congregatio pro Institutione Catholica die 2 augusti 1975 declaravit delictum P. X. Y. in his speciebus facti contentam non esse, quia etiam verbis « ab officio discedere » tale factum non complectitur. Hic de honestate scientifica agitur, quae absolute praesupponenda sit, ita ut eius infractio ne quidem ut hypothesis in Statutis adesse possit. Tali modo S. Congregatio declarat concretum fundamentum iuridicum ad hunc casum tractandum in Statutis non existere; ex altera parte supponit rem ita substantiam iuridicam status professoris tangere, ut etiam sine lege evidens sit eam solummodo maxima poena, i.e. privatione Cathedrae puniri posse. Congregatio hic sese ad traditionem refert dicendo rarissimos casus huius generis statim expulsionem delinquentis vindictos esse. Quamvis S. Congregatio tractationem causae extra legem ponat et supra traditionem et evidentiam fundet, tamen intantum Art. 35 sequitur inquantum decisionem Magno Cancellario tribuit. Insuper remanet quaestio facti, i.e. inquisitio, utrum et quo gradu honestas scientifica laesa sit. Ad hanc quaestionem dirimendam apta instrumenta invenienda fuerunt servato imprimis iure defensionis pro accusato. His omnibus suppositis Magnus Cancellarius vituperari nequit ob institutionem Commissionis specialis ad inquirendam rem,

quia, decisione S. Congregationis emanata, causam non sub normis Art. 35 Statutorum Universitatis cadere, eius discretioni commissum est apta instrumenta quaerere. Obligatus deinde non fuit Senatui quaestionem proponere; unica conditio ex ipsa rei natura profluens fuit competentia personarum ad Commissionem convocatarum quoad hanc materiam, iure defensionis semper servato. Talis competentia apud quattuor Decanos, aggregato professore specialiter in materia perito, iure supponi potest.

b) De iustitia in procedendo.

Maximi momenti quaestio, utrum nempe in hac procedura ius defensionis Patri X. Y. debitum sufficienter servatum fuerit, iam sub 1 a) substantialiter elucidata est, ubi ad conclusionem pervenimus, secunda sessione die 10 oct. habita, hoc ius in prima sessione neglectum modo sufficienti restitutum esse. Quaestio nunc addenda est, utrum Commissio diligentiam sufficientem in procedendo adhibuerit. Tres aspectus per se deliberandi fuerunt.

1. - Quae potuit utrum transcriptio textuum auctorum aliorum etiam in veri nominis publicationibus Patri X. Y. inveniri potest, sicut ex indicatione Card. G. in litteris die 5 aprilis 1976 ad Praefectum Signaturae Apostolicae scriptis concludi posset, in quibus talis « methodus » quoad articulum quendam in « Apollinaris » publici iuris factum monstratur. Sed quia S. Congregatio die 10 novembris 1975 decidit unice de sic dictis dispensis agendum esse, haec questio in deliberatione Magni Cancellarii et Commissionis ab eo constitutae intrare non debuit nec a nobis inquirenda est, quia recursus ad argumentum prioris processus limitatur.

2. - Ad rem autem immediate pertinet inquisitio generis litterarii textuum in criminatorem, imprimis quaestio, utrum lectori attento perspicuum fuerit, aucto-

rem non proprias pervestigaciones proponere, sed doctrinam communem auctorum probatorum sequi et utrum, tali lectori facilitas data erat cognoscendi, quos auctores magister imprimis et in quibus partibus sequatur. Species delicti multum dependet ex tali inquisitione. Ex documentis nobis correctis videre non possumus utrum et qua diligentia tales labores in actum deducti sint.

3. - Quia accusatio contrafactionis quaestio specifica Universitatis Catholicae non est, sed essentiam communem omnium universitatum tangit, magnum interest, quo modo universitates saeculares in talibus casibus procedunt. P. X. Y. voces competentes ad hanc rem pertinentes proposuit, quorum valor examinandus fuit. Iterum nescimus, inquantum hoc in actum deductum est. Ex facto autem, quod votum Commissionis post secundam sessionem sat diversum fuit a voto post primam sessionem emanatum ex una parte concludi potest, defensionem P. X. Y. sufficientem et efficacem fuisse, ex altera parte apparet diligentiam saltem prima vice adhibitam haud omnino sufficientem esse potuisse.

c) De iustitia in decernendo.

Sicut supra monstratum est, decisio Magni Cancellarii ad nullam proceduram in statutis definitam ligata fuit; sed pendebat unice ex evidentia delicti, quam assequi debuit instrumentis aptis secundum suam ipsius discretionem quaerendis. Sic apparet Magnum Cancellarium iuridice voto Commissionis obligatum non fuisse, sed hoc quoad rem maximi momenti fuisse, quia alia via certitudinem sufficientem inveniendi non potuit. Nunc autem dicendum est in prima sessione Commissionis, ad quam accusatus modo debito vocatus non fuerat, cuiusque procedura iustitiam violaverat, unanimiter decisum esse P. X. Y. cathedra privandum nec senatus consultum ad hoc necessarium esse. In secunda autem sessione, legitime

convocata, solummodo unum membrum in hoc voto permansit: duo declaraverunt poenam dependere ex praxi S. Congregationis et e quaestione, utrum volumen incriminatum vim habuit in praestando «Nihil obstat»; unus dixit volumen hoc non esse causam sufficientem punitionis gravissimae (I 55; II 127).

Magnus Cancellarius, fulciens se explicite in decisionibus primae adunationis, die 13 septembris 1975 P. X. Y. scripsit, decurrente die, qua litterae scriptae erant, ipsum a cathedra remotum esse; sicut textus sonat valorem decreti sibi tribuere videtur; solummodo ex posterioribus litteris Magni Cancellarii concludi potest hanc nondum ultimam decisionem fuisse. In litteris suis, die 27 novembris 1975 ad Ministrum Generalem N. directis dicit ex profundiore examine quaestionis nullum elementum scaturire quod revisionem decisionis post primam adunationem Commissionis emanatam iustificare possit. In epistula 19 ianuarii 1976 scripta, quae finalem decisionem exprimit et loco decreti stat, iterum dicit decisionem in litteris 6 septembris 1975 scriptis plenam validitatem conservare. Aliis verbis: decisio definitiva adunationem secundam Commissionis omnino negligit et unice super eius primam expressionem fundatur ideoque eodem defectu vitatur, quem iam supra vituperavimus. Finaliter remansit decisio sicut facta erat tempore quo accusatus occasionem sese defendendi sufficientem non habuerat.

3. - An Sacra Congregatio pro Institutione Catholica leges violaverit.

Promotor Iustitiae V. C., in suo voto die 30 octobris 1980 scripto, quamquam generaliter modum procedendi S. Congregationis pro Institutione Catholica defenderat, scripsit tamen pondere non carere affirmationem P. X. Y. «accusantis S. Congregationem in duplici instantia intervenisse, normam definiendo immo et

decisionem suggerendo in primo gradu, in altero gradu decisionem Magni Cancellarii confirmando». Promotor iustitiae adiungit: «Rekursus utique in re administrativa ad eundem fieri potest qui actum posuit, sed recursus in casu solummodo ad eundem seu ad eosdem fieri potuit qui actum posuerunt. Aliis verbis nullus erat recursus, in re gravissima, ad superiorem qui animum non haberet praecipuum» (II 209).

His verbis Promotoris iustitiae nihil addendum est. Haec confusio officiorum legislatoris et iudicis apparet imprimis in epistula die 2 augusti a S. Congregatione ad Rectorem Universitatis scripta, in qua, non solummodo generaliter species facti et poena tali facto conveniens definiuntur, sed etiam solutio ad casum insinuat.

Si ergo nunc ad primum dubium nobis propositum revertimur, utrum nempe constet de violatione legis vel in procedendo vel in decernendo, primum dicere debemus legem propriam pro hoc casu non existere. Applicandae ergo erant ad casum regulae generales iustitiae respiciendo qualitates particulares Universitatis in analogia etiam ad Universitates statales, quia casus — sicut dictum est — non ad characterem specialem Universitatis catholicae refertur, sed communem essentiam Universitatum tangit.

Modificato dubio in hoc sensu debemus respondere: Affirmative, i.e. tam in procedendo quam in decernendo iustitia laesa est.

II. - *De secundo dubio.* In secundo dubio agitur «de merito», i.e. de quaestione utrum dimissio P. X. Y. a munere docendi iusta vel iniusta fuerit.

Ut responsionem inveniamus, debemus accusationem, supra quam decisio fundatur, cum facto comparare, quod et in quantum in actis demonstratur. Dimissio a munere docendi iustificata est accusatione sic dicti «plagii», cui talis poena con-

venire dicitur. Traditiones generales Universitatum in hac re respicientes speciem facti ad punitionem suppositam adhuc clarius determinare possumus. Ad punitionem, de cuius gravitate traditio uniformis non existit, proceditur si aut «plagium» verum, i.e. crimen etiam secundum leges civiles puniendum, demonstratur aut munus docendi fraudulenter usurpatum est, i.e. si textus non ab auctore provenientes sub eius nomine propositi in decisionem intraverunt et eos, quibus competit, ad eius nominationem saltem partim moverunt. Revera ambae quaestiones in causa nostra disputantur eiusque nucleum iuridicum efformant et proinde a nobis inquirendae sunt. Omitendae e contrario sunt penitus quaestiones collaterales, quae propriam suam vim iuridicam habere possunt sed ad rem nobis propositam non pertinent, sicut exempli gratia quaestio accusationum quas P. X. Y. contra personas quasdam Curiae Romanae iecit.

1. - Utrum de «plagio» sensu stricto loqui possit.

Prima nostra inquisitio in lucem ponere debet utrum et in quantum in casu verum «plagium» affirmandum sit. Inter peritos constat ad «plagii» definitionem in primis pertinere textum incriminatum publici iuris sub nomine et sub propria responsabilitate auctoris factum esse. Hoc pro sic dictis «dispensis» ad usum auditorum editis certe non valet. Sed dicitur assumptione huius scripti in elenchum librorum in «Apollinaris» publicatum et recensione in ephemeride quadam hispanica idem de facto in genus libri publici transisse. Sed probari non potest hoc a P. X. Y. provocatum esse; in recensione hispanica insuper explicite dicitur tale scriptum publice accessibile non esse, sed solummodo auditoribus in adiumentum offerri.

Sic dicendum est constructionem «dispensarum» a P. X. Y. adhibitam certe

graviter vituperandam esse tam sub ratione paedagogica quam sub ratione methodica et scientifica et tale factum publice notum interventum auctoritatum competentium postulas. Sed quia de «plagio» veri nominis non agitur et agnoscendum est in hoc genere litterario etiam scripta aliorum professorum scientificae interdum non multum valere, accusatio quae decisionibus auctoritatum subest, in forma ad eis supposita veritati rei non congruit.

2. - Utrum scripta in discrimine versantia alicuius momenti fuerint in promotione P. X. Y. ad munus professoris.

Difficile est in hac secunda quaestione veritatem invenire, i.e. decidere, utrum et quomodo volumen «De iure patrimoniali Ecclesiae» Facultati ab auctore propositum sit, antequam de eius nominatione ad professorem extraordinarium decisum fuerit. In hac re expositio Patroni S. Congregationis pro Institutione Catholica die 30 iunii 1983 data, propinquius ad veritatem accedere videtur quam ea quae advocatus Rev. di X. Y. demonstrare tentat. In curriculo vitae die 28 martii 1973 scripto, X. Y. explicite dicit: «Inoltre unisco anche due copie delle «dispense»: De iure patrimoniali Ecclesiae, Roma 1973... portate a termine proprio in questi giorni» (Allegato ad interrogationem Rectoris, p. 80). Titulus etiam invenitur in bibliographia adnexa (idib, p. 82).

Ex altera parte ex documentis patet prima exemplaria huius operis P. X. Y. die 4 aprilis 1973 exhibita esse (I 45), dum decisio nominationis P. X. Y. ad professorem extraordinarium iam die 3 aprilis in actum deducta fuerit (II 14). Constat ideo volumen hoc tempore decisionis professoribus adhuc ignotum fuisse et impossibile est eorum decisionem supra scriptum quoddam fundatum esse, quod cognoscere non potuerunt. Insuper

ex actis desumi potest P. X. Y. bibliographiam suam solummodo die 6 aprilis 1973, i.e. post decisionem facultatis iam factam, Rectori exhibuisse (I 68), ita ut omni modo excludi potest « dispensas » de iure patrimoniali Ecclesiae momentum habuisse in promotione P. X. Y. ad cathedram « De rebus ». Negari etiam debet secundum affirmationem Rectoris, P. X. Y. anno 1975 bibliographiam suam « alterasse » omittendo infelices illas « dispensas », quia elenchus anno 1975 praesentatus etiam novas publicationes anni 1974 includit et sic lectori evidens est novam bibliographiam offerri, quae nullo modo eadem esse et vult, quae ante duos annos scripta erat.

Si omnia perpendimus, hic, sicut iam in prima nostra quaestione, dicendum est P. X. Y. modum agendi non omnino rectum fuisse: insertio « dispensarum » in bibliographiam, res ab auctoritatibus considerata et modo iusto etiam vindicanda est.

Quia autem volumen hoc in decisiones facultatis non intravit, causam quae dimissionem a Cathedra iustificare posset, non exstitisse dicendum est.

Si ergo nunc ad dubium secundum nobis propositum revertimur, utrum nempe decretum dimissionis Rev. P. X. Y. a munere docendi iustum vel iniustum sit, vera specie facti diligenter determinata et traditionibus academicis consideratis dicere debemus decretum hoc aequam proportionalitatem iustitiae excessisse et deinde iustum non esse. Responsio ergo est negative ad primam, affirmative ad secundam partem dubii.

III. - *De tertio dubio.* - Hoc dubium in duas partes dividitur. Quaeritur nempe, primo, an damnis recurrens sarcendus sit, et secundo, an hoc Supremum Tribunal competens sit ad quaestionem solvendam de refectione damnorum. Incipimus ab hac secunda parte dubii fatendo nostram instructionem in rebus Cu-

riae sufficientem non esse ad hanc quaestionem dirimendam. Inquantum autem intelligimus talem competentiam huius Supremi Tribunalis negandam esse censemus, cuius munus esse non potest immediate ordinationes emanare quae in competentiam aliorum Dicasteriorum intrant. Quomodocumque haec res se habeat, documenta nobis praestita non sufficiunt decisiones huius generis hic aggredi. Sicut res stant, hoc Tribunal potest solummodo generalem sententiam de hac re exprimere, cuius applicatio discretioni eorum relinquenda est quibus competit. Impossibile etiam nobis esse videtur genus damni determinare, qua de causa etiam genus restitutionis eventualis definiri a nobis nequit. Evidens est contra nobis esse videtur damnum morale violatione aequitatis et iustitiae in procedendo et in decernendo facta P. X. Y. illatum esse et obligationem forte non iuridicam, sed tamen moralem existere, aptis mediis hoc damnum sanandi. Respondemus ergo ad primam quaestionem: affirmative et iuxta modum.

Quibus omnibus, tum in iure tum in facto mature perpensis, Collegium Em. morum Patrum Cardinalium, pro tribunali sedens ac solum Deum prae oculis habens, Christi nomine invocato circa propositis dubiis respondendum censuit uti respondet:

*Ad 1:* Constare de violatione legis sive in procedendo sive in decernendo relate ad actum S. Congregationis pro Institutione Catholica diei 10 ianuarii 1979.

*Ad 2:* Decretum dimissionis R. P. X. Y. a munere docendi ex parte S. Congregationis pro Institutione Catholica, confirmans decisionem Magni Cancellarii Universitatis K. diei 19 ianuarii 1976, *iniustum* esse.

*Ad 3:* *Affirmative*, et iuxta modum. Modus autem est quod de re videant competentia Officia Sanctae Sedis. (*Omissis*).